VMQVE ea Cephenum medio
Danaeius heros
Agmine commemorat, fremitu regalia turbæ
Atria complentur, nec cõiugalia festa
Qui canat, est clamor, sed qui fera nuntiet arma.
Inq; repentinos conuiuia versa tumultus 5
Assimulare freto possis, quod sæua quietum
Ventorum rabies motis exasperat vndis
Primus in his Phineus belli temerarius autho
Fraxineam quatiens æratæ cuspidis hastam
En ait, en adsum præreptæ coniugis vltor. 10
Nec mihi te pennæ, nec falsum versus in aurum
Iuppiter eripiet, conanti mittere Cepheus
Quid facis exclamat? quæ te germane furentem
Mens agit in facinus? meritis ne hæc gratia tantis
Redditur? hac vitam seruatæ dote rependis? 15
Quã tibi non Perseus, verũ si quæris, ademit,
Sed graue Nereidũ numen, sed corniger Hãmon.
Sed quæ visceribus veniebat bellua ponti
Exaturanda meis, illo tibi tempore rapta est,
Quo peritura fuit, nisi si crudelis id ipsum 20
Exigis vt pereat, luctuq; leuabere nostro.
Scilicet haud satis est, q; te spectante reuincta est,
Et nullam q; opem patruus, sponsusve tulisti,
Insuper a quoquam q; sit seruata dolebis?
Præmiaq; eripies? quæ si tibi magna videntur, 25
Ex illis scopulis, vbi erant affixa, petisses.
Nunc sine qui petiit, per quẽ hæc nõ orba senectus
Ferre, quod & meritis, & voce est pactus, eumq;
Non tibi, sed certæ prælatum intellige morti.

30 Ille nihil contra, sed & hunc, & Persea vultu
Alterno spectans petat hunc ignorat, an illum,
Cunctatusq; breui contortam viribus hastam,
Quantas ira dabat, nequicquam in Persea misit.
Et stetit illa toro, stratis tum deniq; Perseus
35 Exiliit, teloq; ferox inimica remisso
Pectora rupisset, nisi post altaria Phineus
Isset, & indignum scelerato profuit ara.
Fronte tamen Rhœti non irrita cuspis adhæsit,
Qui post, quã cecidit, ferrũq; ex osse reuulsum est,
40 Calcitrat, & positas aspergit sanguine mensas.
Tum vero indomitas ardescit vulgus in iras,
Telaq; coniiciunt, & sunt qui Cephea dicant
Cum genero debere mori, sed limine tecti
Exierat Cepheus testatus iusq;, fidemq;
45 Hospitiiq; deos, ea se prohibente moueri.
Bellica Pallas adest, & protegit ægide fratrem,
Datq; anĩos, erat indus Atys, quẽ flumine Gange
Edita Limniace vitreis peperisse sub vndis
Creditur, egregius forma, quam diuite cultu
50 Augebat bis adhuc octenis integer annis
Indutus Tyriã chlamydem, quã limbus obibat
Aureus, ornabant aurata monilia collum,
Et madidos myrrha curuum crinale capillos.
Ille quidem iaculo quamuis distantia misso
55 Figere doctus erat, sed tendere doctior arcus.
Tum quoq; lenta manu flectentẽ cornua Perseus
Stipite qui media positus fumabat in ara
Perculit, & fractis confudit in ossibus ora.
Hunc vbi fœdatos iactantem sanguine vultus
60 Assyrius vidit Lycabas iunctissimus illi,

Et comes,& veri non dissimulator amoris,
Post,quã exhalantem sub acerbo vulnere vitam
Deplorauit Atyn,quos ille tetenderat arcus
Arripit,& mecum tibi sint certamina dixit.
Nec longum pueri fato lætabere,quo plus 65
Inuidiæ,quã laudis habes,hæc omnia non dum
Dixerat,emicuit neruo penetrabile telum,
Vitatumq; tamen sinuosa veste pependit.
Vertit in hunc harpen madefactã cæde Medusæ
Acrisioniades,adigitq; in pectus,at ille 70
Iam moriens oculis sub nocte natantibus atra
Circunspexit Atyn,secq; acclinauit ad illum,
Et tulit ad manes iunctæ solatia mortis.
Ecce Suenites genitus Methione Phorbas,
Et libys Amphimedon auidi cõmittere pugnã, 75
Sanguine quo late tellus madefacta tepebat,
Conciderant lapsi,surgentibus obstitit ensis
Alterius costis iugulo Phorbantis adactus.
At non Actoriden Erithum,cui lata bipennis
Telum erat,admoto Perseus petit ense,sed altis 80
Extantem signis,multæq; in pondere massæ
Ingentem manibus tollit cratera duabus,
Infligitq; viro,rutilum vomit ille cruorem,
Et resupinus humum moribundo vertice pulsat.
Inde semiramio Polydæmona sanguine cretum, 85
Caucaseũq; Abarim,Sperchesiadenq; Lycetum,
Intonsumq; comas Elycen,Phlegianq;,Clytũq;
Sternit,& extructos morientum calcat aceruos.
Nec Phineus ausus concurrere cõminus hosti
Intorquet iaculum,quod detulit error in Idam 90
Expertem frustra belli,& neutra arma secutum.

Ille tuens oculis immitem Phinea toruis,
Quãdoquidẽ in partes ait abstrahor, accipe Phineu,
Quẽ fecisti hostem, pensaq; hoc vulnere vulnus.
95 Iamq; remissurus tractum de corpore telum
Sanguine defectos cecidit collapsus in artus.
Hic quoq; Cephenum post regem primus Odites
Ense iacet Clymeni, Protenora percutit Hypseus,
Hypsea Lyncides, fuit & grandæuus in illis
100 Emathion æqui cultor, timiduscq; deorum,
Qui quoniam prohibent anni bellare, loquendo
Pugnat, & incessit, sceleratacq; deuouet arma.
Huic Cromis amplexo tremulis altaria palmis
Decutit ense caput, quod protinus incidit aræ,
105 Atq; ibi semianimis verba execrantia lingua
Edidit, & medios animam expirauit in ignes.
Hinc gemini fratres, Proteasq;, & cæstibus Hãmon
Inuicti, vinci si possent cæstibus enses,
Phinea cæcidere manu, Cereris q; sacerdos
110 Alphitus albenti velatus tempora vitta.
Tu quoq; Iapetide non hos adhibendus ad vsus,
Sed qui pacis opus citharam cum voce moueres,
Iussus eras celebrare dapes, festumq; canendo.
Quẽ procul astantem plectrũq; imbelle tenentẽ
115 Pettalus irridens stygiis cane cætera dixit
Manibus, & leuo mucronem tempore fixit.
Concidit, & digitis morientibus ille retentat
Fila lyræ, casuq; fuit miserabile carmen.
Nec sinit hunc impune ferus cecidisse Lycormas,
120 Raptaq; de dextro robusta repagula poste
Ossibus illisit mediæ ceruicis, at ille
Procubuit terræ mactati more iuuenci.

Demere tentabat leui quoq; robora postis
Cinypheus Pelates, tentanti dextera fixa est
Cuspide Marmaridæ Coriti, lignoq; cohæsit. 125
Hærenti latus hausit Abas, nec coruit ille,
Sed retinente manu moriens de poste pependit.
Sternitur & Menaleus Perseia castra secutus,
Et Nasamoniaci Dorilas ditissimus agri
Diues agri Dorilas, quo non possederat alter 130
Latius, aut totidem tollebat farris aceruos.
Huius in obliquo missum stetit inguine ferrum.
Letifer ille locus, quē post, quā vulneris autor
Singultantem animā, & versantem lumina vidit.
Bracteus Alconeus, hoc q̄d premis inquit, habeto 135
De tot agris terræ, corpusq; exangue reliquit.
Torquet in hunc hastam calido de vulnere raptā
Vltor Abantiades, media quæ nare recepta
Ceruice exacta est, in partesq; eminet ambas.
Dumq; manū fortuna iuuat, Clytiūq;, Danumq; 140
Matre satos vna diuerso vulnere fudit.
Nam Clytij per vtrunq; graui librata lacerto
Fraxinus acta femur, iaculū Danus ore momordit.
Occidit & Celedon Mindesius, occidit Astreus
Matre palæstina, & dubio genitore creatus. 145
Echionq; sagax quondam ventura videre,
Nunc aue deceptus falsa, regisq; Thoactes
Armiger, & cæso genitore infamis Agyrtes.
Plus tamen exhausto superest, nanq; omnibus vnū
Opprimere est animus, coniurata vndiq; pugnant 150
Agmina pro causa meritū impugnante, fidemq;.
Hac pro parte socer frustra pius, & noua coniux
Cum genitrice fauent, vlulatuq; atria complent.

Sed ſonus armorũ ſuperat, gemitusq; cadentum,
155 Pollutosq; ſimul multo Bellona penates
Sanguine perfundit, renouataq; prælia miſcet.
Circueunt vnum Phineus, & mille ſecuti.
Phinea tela volant hyberna grandine plura
Præter vtrũq; latus, præterq;, & lumen, & aures
160 Applicat hic humeros ad magnæ ſaxa columnæ,
Tutaq; terga gerens, aduerſaq; in agmina verſus
Subſtinet inſtantes, inſtabat parte ſiniſtra
Chaonius Molpheus, dextra nabathæus Ethemon.
Tigris vt auditis diuerſa valle duorum
165 Extimulata fame mugitibus armentorum
Neſcit vtro pocius ruat, & ruere ardet vtroq;,
Sic dubius Perſeus, dextra, leua ne feratur.
Molphea traiecti ſummouit vulnere cruris.
Cõtentusq; fuga eſt, neq; em̃ dat tẽpus Ethemon,
170 Sed furit, & cupiens alto dare vulnera collo,
Non circunſpectis exactum viribus enſem
Fregit, & extrema percuſſa parte columnæ
Lamina diſſiluit, dominiq; in gutture fixa eſt.
Non tamen ad letum cauſas ſatis illa valentes
175 Plaga dedit trepidũ Perſeus, & inertia fruſtra
Brachia tendentem cyllenide confodit harpe.
Verum vbi virtutem turbæ ſuccumbere vidit,
Auxilium Perſeus, quoniam ſic cogitis ipſi,
Dixit, ab hoſte petam, vultus auertite veſtros,
180 Si quis amicus adeſt, & Gorgonis extulit ora.
Quære alium, tua, quẽ moueant miracula, dixit
Theſſalus, vtq; manu iaculum letale parabat
Mittere, in hoc hæſit ſignum de marmore geſtu.
Proximus huic Amphix animi pleniſſima magni

Pectora Lyncidæ gladio petit, inq; petendo 185
Dextera diriguit, nec citra mota, nec vltra est.
At Nileus, qui se genitum septemplice Nilo
Ementitus erat, clypeo quoq; flumina septem
Argento partim, partim cælauerat auro,
Aspice ait Perseu nostræ primordia gentis. 190
Magna feres tacitas solatia mortis ad vmbras
A tanto cecidisse viro, pars vltima vocis
In medio suppressa sono est, adapertaq; velle
Ora loqui credas, nec sunt ea peruia verbis.
Increpat hos, vitioq; animi non viribus inquit 195
Gorgoneis torpetis Eryx, incurrite mecum,
Et ꝓsternite humi iuuenẽ magica arma mouentẽ.
Incursurus erat, tenuit vestigia tellus.
Immotusq; silet, armataq; mansit imago.
Hi tamen ex merito pœnas subiere, sed vnus 200
Miles erat Persei, pro quo dum pugnat Aconteus,
Gorgone conspecta saxo concreuit oborto,
Quem ratus Astyages etiã nunc viuere, longo
Ense ferit, sonuit tinnitibus ensis acutis.
Dum stupet Astyages, naturam traxit eandem. 205
Marmoreoq; manet vultus mirantis in ore.
Nomina longa mora est media de plebe virorum
Dicere, bis centum restabant corpora pugnæ.
Gorgone bis centum riguerunt corpora visa.
Pœnitet iniusti tunc deniq; Phinea belli. 210
Sed quid agat? simulacra videt diuersa figuris.
Agnoscitq; suos, & nomine quenq; vocatum
Poscit opem, credensq; parũ sibi proxima tangit
Corpora, marmor erãt, auertitur, atq; ita supplex
Confessasq; manus, obliquaq; brachia tendens, 215

Vincis ait Perseu, remoue tua monstra, tuæq;
Saxifícos vultus, quæcunq; ea, tolle Medusæ,
Tolle precor, non nos odium, regniq; Cupido
Compulit ad bellũ, pro coniuge mouimus arma.
220 Causa fuit melior meritis tua, tempore nostra.
Non cessisse piget, nil o fortissime præter
Hanc animam concede mihi, tua cætera sunto.
Talia dicenti, neq; eum, quem voce rogabat,
Respicere audenti, quod ait timidissime Phineu
225 Et possum tribuisse, & magnũ est munus inerti,
Pone metum tribuam, nullo violabere ferro.
Quin etiã mansura dabo monimenta per æuum.
Inq; domo soceri semper spectabere nostri.
Vt mea se sponsi soletur imagine coniux.
230 Dixit, & in partẽ Phorcynida transtulit illam,
Ad quam se trepido Phineus obuerterat ore.
Tunc quoq; conanti sua flectere lumina ceruix
Diriguit, saxoq; oculorum induruit humor.
Sed tamẽ os timidũ, vultusq; in marmore supplex,
235 Summissæq; manus, faciesq; obnoxia mansit.
Victor Abantiades patrios cum coniuge muros
Intrat, & immeriti vindex, vltorq; parentis
Aggreditur Prœtum, nam fratre per arma fugato
Acrisioneas Prœtus possederat arces.
240 Sed nec ope armorũ, nec quã male ceperat, arce
Torua colubriferi superauit lumina monstri.
Te tamen o paruæ rector Polydecte Seriphi,
Nec iuuenis virtus per tot spectata labores,
Nec mala mollierant, sed inexorabile durus
245 Exerces odium, nec iniqua finis in ira est,
Detrectas etiam laudem, fictamq; Medusæ

Arguis esse necem, dabimus tibi pignora veri.
Parcite luminibus, Perseus ait, oraq; regis
Ore Medusæo silicem sine sanguine fecit.
Hactenus aurigenæ comitem Tritonia fratri 250
Se dedit, inde caua circundata nube Seriphon
Deserit a dextra Cypro, Gyaroq; relictis.
Quaq; super pontũ via visa breuissima, Thebas
Virgineumq; Helicona petit, quo monte potita
Constitit, & doctas sic est affata sorores, 255
Fama noui fontis nostras peruenit ad aures,
Dura Medusei, quem præpetis vngula rupit.
Is mihi causa viæ volui mirabile factum
Cernere, vidi ipsum materno sanguine nasci.
Excipit Vranie, quæcunq; est causa videndi 260
Has tibi diua domos animo gratissima nostro.
Vera tamen fama est, & Pegasus huius origo
Fontis, & ad latices deduxit Pallada sacros.
Quæ mirata diu factas pedis ictibus vndas
Syluarum lucos circumspicit antiquarum, 265
Antraq;, & innumeris distinctas floribus herbas,
Fœlicesq; vocat pariter studiiq;, locíq;
Mœonidas, quam sic affata est vna sororum,
O nisi te virtus opera ad maiora tulisset,
In partem ventura chori tritonia nostri, 270
Vera refers, meritoq; probas, artemq;, locumq;,
Et gratam sortem, tutæ modo simus, habemus,
Sed vetitum est adeo sceleri nihil, omnia terrent
Virgineas mentes, dirusq; ante ora Pyreneus
Vertitur, & non dum me tota mente recepi. 275
Daulia thraicio, phoceaq; milite rura
Ceperat ille ferox, iniustaq; regna tenebat.

Templa petebamus parnasia, vidit euntes,
Nostraq; fallaci veneratus numina vultu
280 Mæonides (cognorat enim) consistite dixit.
Ne dubitate precor tecto graue sidus & imbrem
(Imber erat) vitare meo, subiere minores
Sæpe casas superi, dictis, & tempore motæ,
Annuimusq; viro, primasq; intrauimus ædes.
285 Desierant imbres, victoq; aquilonibus austro
Fusca repurgato fugiebant nubila cœlo.
Impetus ire fuit, claudit sua tecta Pyreneus,
Vimq; parat, quam nos sumptis effugimus alis.
Ipse secuturo similis stetit arduus arce.
290 Quaq; via est vobis, erit & mihi dixit eadem.
Seq; iacit vecors e summo culmine turris.
Et cadit in vultus, discussisq; ossibus oris
Tundit humũ moriens scelerato sanguine tinctã.
Musa loquebatur, pennæ sonuere per auras.
295 Voxq; salutantum ramis veniebat ab altis.
Suspicit, & linguæ quærit tam certa loquentes
Vnde sonent, hoïemq; putat Ioue nata locutum.
Ales erat, numeroq; nouem sua fata quærentes
Institerant ramis imitantes omnia picæ.
300 Miranti sic orsa deæ dea, nuper & istæ
Auxerunt volucrum victæ certamine turbam.
Pierus has genuit pellæis diues in aruis.
Pæonis Anippe mater fuit, illa potentem
Lucinam nouies, nouies paritura vocauit.
305 Intumuit numero stolidarum turba sororum.
Perq; tot Aemonias, & per tot achaidas vrbes
Huc venit, & tali committit prælia voce.
Desinite indoctum vana dulcedine vulgus

Fallere, nobiſcum, ſi qua eſt fiducia vobis,
Theſpiades certate deæ, nec voce, nec arte 310
Vincemur, totidemq; ſumus, vel cedite victæ
Fonte Meduſæo, & Hyantea Aganippe,
Vel nos emathiis ad pæonas vſq; niuoſos
Cedemus ſyluis, dirimant certamina nymphæ.
Turpe quidē contendere erat, ſed cedere viſum 315
Turpius, electæ iurant per flumina nymphæ.
Factaq; de viuo preſſere ſedilia ſaxo.
Tunc ſine ſorte prior, quæ ſe certare profeſſa eſt,
Bella canit ſuperum, falſoq; in honore gigantes
Ponit, & extenuat magnorum facta deorum, 320
Emiſſumq; ima de ſede Typhoea terræ
Cælitibus feciſſe metum, cunctoſq; dediſſe
Terga fugæ, donec feſſos ægyptia tellus
Ceperit, & ſeptem diſcretus in hoſtia Nilus
Huc quoq; terrigenam veniſſe Typhoea narrat, 325
Et ſe mentitis ſuperos cælaſſe figuris,
Duxq; gregis dixit fit Iuppiter, vnde recuruis
Nunc quoq; formatus libys eſt cū cornibus Hāmon.
Delius in coruo, proles Semeleia capro,
Fele ſoror Phœbi, niuea Saturnia vacca, 330
Piſce Venus latuit, Cyllenius ibidis alis.
Hactenus ad citharam vocalia mouerat ora.
Poſcimur Aonides, ſed forſitan ocia non ſunt,
Nec noſtris præbere vacat tibi cantibus aures.
Ne dubita, veſtrumq; mihi refer ordine carmen, 335
Pallas ait, nemoriſq; leui conſedit in vmbra.
Muſa refert, dedimus ſummam certaminis vni.
Surgit, & immenſos edera collecta capillos
Calliope querulas prætentat pollice chordas.

340 Atq; hæc percussis subiungit carmina neruis.
Prima Ceres vnco glebam dimouit aratro.
Prima dedit fruges, alimentaq; mitia terris.
Prima dedit leges, Cereris sunt omnia munus.
Illa canenda mihi est, vtinã modo dicere possem
345 Carmina digna dea, certe est dea carmine digna.
Vasta giganteis iniecta est insula membris
Trinacris, & magnis subiectum molibus vrget
Aethereas ausum sperare Typhoea sedes.
Nititur ille quidem, tentatq; resurgere sæpe,
350 Dextra sed ausonio manus est subiecta Peloro,
Leua Pachyne tibi, Lilybæo crura premuntur,
Degrauat Aetna caput, sub qua resupinus arenas
Eiectat, flammamq; fero vomit ore Typhoeus.
Sæpe remoliri luctatur pondera terræ
355 Oppidaq;, & magnos deuoluere corpore montes.
Inde tremit tellus, & rex pauet ipse silentum.
Ne pateat, lateq; solum retegatur hiatu,
Immissusq; dies trepidantes terreat vmbras.
Hanc metuens cladem tenebrosa sede tyrannus
360 Eiecerat, curruq; atrorum vectus equorum
Ambibat siculæ cautus fundamina terræ.
Post, quã exploratum satis est loca nulla labare,
Depositoq; metu videt hunc Erycina vagantem
Monte suo residens, natumq; amplexa volucrem
365 Arma, manusq; meæ mea nate potentia dixit,
Illa, quibus superas omnes, cape tela, Cupido,
Inq; dei pectus celeres molire sagittas,
Cui triplicis cessit fortuna nouissima regni.
Tu superos, ipsumq; louem, tu numina ponti
370 Victa domas, ipsumq;, regit qui numina terræ.

Tartara quid cessant? cur non matrisq;, tuumq;
Imperium profers? agitur pars tertia mundi.
Et tamen in cœlo quoq; iam patientia nostra est.
Spernimur, ac mecũ vires minuuntur amoris.
Pallada nonne vides, iaculatricemq; Dianam 375
Abscessisse mihi? Cereris quoq; filia virgo,
Si patiemur erit, nam spes affectat easdem.
At tu pro socio, si qua est ea gratia regno,
Iunge deam patruo, dixit Venus, ille pharetram
Soluit, & arbitrio matris de mille sagittis 380
Vnam se posuit, sed qua nec acutior vlla,
Nec minus incerta est, nec q̃ magis, audiat arcum.
Oppositoq; genu curuauit flexile cornu,
Inq; cor hamata percussit harundine ditem.
Haud procul Aetnæis lacus est a mœnibus altus 385
Nomine Pergusa, non illo plura Cayster
Carmina cygnorum labentibus audit in vndis.
Sylua coronat aquas cingens latus omne, suisq;
Frondibus vt velo phœbeos summouet ignes.
Frigora dant rami, varios humus humida flores, 390
Perpetuum ver est, quo dum Proserpina luco
Ludit, & aut violas, aut candida lilia carpit.
Dumq; puellari studio, calathosq;, sinum
Implet, & æquales certat superare legendo.
Pene simul visa est, dilectaq;, raptaq; diti. 395
Vsq; adeo est properatus amor dea territa mœsto,
Et matrem & comites, sed matrem sæpius ore.
Clamat, & vt summa vestem laniarat ab ora,
Collecti flores tunicis cecidere remissis,
Tantaq; simplicitas puerilibus affuit annis, 400
Hæc quoq; virgineum mouit iactura dolorem,

Raptor agit currus, & nomine quenq; vocando
Exhortatur equos, quorum per colla, iubasq;
Excutit obscura tinctas ferrugine habenas,
405 Perq; lacus altos, & olentia sulfure fertur
Stagna palicorum rupta feruentia terra,
Et qua bacchiadæ bimari gens orta Corintho
Inter inæquales posuerunt mœnia portus.
Est medium Cyanes, & pisææ Arethusæ,
410 Quod coit angustis inclusum cornibus æquor,
Hic fuit, a cuius stagnũ quoq; nomine dictũ est
Inter Nicelidas Cyane celeberrima nymphas,
Gurgite quæ medio summa tenus extitit aluo,
Agnouitq; deam, nec longius ibitis inquit.
415 Non potes inuitæ Cereris gener esse, roganda,
Non rapienda fuit, quod si componere magnis
Parua mihi fas est, & me dilexit Anapis,
Exorata tamen, nec, vt hæc exterrita, nupsi.
Dixit, & in partes diuersas brachia tendens
420 Obstitit, haud vltra tenuit Saturnius iram,
Terribilesq; hortatus equos in gurgitis ima
Contortum valido sceptrum regale lacerto
Condidit, icta viam tellus in tartara fecit.
Et pronos currus medio cratere recepit.
425 At Cyane, raptãq; deam, contemptaq; fontis
Iura sui mœrens inconsolabile vulnus
Mente gerit tacita, lachrymisq; absumitur omnis.
Et quarum fuerat magnum modo numen, in illas
Extenuatur aquas, molliri membra videres,
430 Ossa pati flexus, vngues posuisse rigorem,
Primaq; de tota tenuissima quæq; liquescunt,
Cœrulei crines, digitiq;, & crura, pedesq;.

Nam breuis in gelidas membris exilibus vndas
Transitus est, post hæc humeri tergumq; latusq;,
Pectoraq; in tenues abeunt euanida riuos. 435
Deniq; pro viuo vitiatas sanguine venas
Lympha subit, restatq; nihil, q̃d prendere possis.
Interea pauidæ nequicquam filia matri
Omnibus est terris, omni quæsita profundo.
Illam non vdis veniens aurora capillis 440
Cessantem vidit, non hesperus, illa duabus
Flammiferas pinus manibus succendit ab Aetna,
Perq; pruinosas tulit irrequieta tenebras.
Rursus vbi alma dies hebetarat sydera natam
Solis ab occasu, Solis quærebat ad ortus. 445
Fessa labore sitim conceperat, oraq; nulli
Colluerant fontes, contectam stramine vidit
Forte casam, paruasq; fores pulsauit, at inde
Prodit anus, diuamq; videt, lymphamq; roganti
Dulce dedit, testa, quod coxerat ante polenta. 450
Dum bibit illa datum, duri puer oris, & audax
Constitit ante deam, risitq;, auidamq; vocauit.
Offensa est, neq; adhuc epota parte loquentem
Cum liquido mixta perfudit diua polenta.
Combibit os maculas, & quæ non brachia gessit, 455
Crura gerit, cauda est mutatis addita membris.
Inq; breuem formam, ne sit vis magna nocendi
Contrahitur, paruaq; minor mensura lacerta est.
Mirantem, flentēq; & tangere monstra pauentem
Fugit anum, latebrasq; petit, aptumq; colori 460
Nomen habet variis stellatus corpora guttis.
Quas dea per terras, & quas errauerit vndas
Dicere longa mora est, quærenti defuit orbis.

Sicaniam repetit, dumq; omnia lustrat eundo,
465 Venit & ad Cyanen, ea ni mutata fuisset,
Omnia narrasset, sed & os, & lingua volenti
Dicere non aderant, nec qua loqueretur, habebat.
Signa tamen manifesta dedit, notamq; parenti
Illo forte loco delapsam in gurgite sacro
470 Persephones Zonam summis ostendit in vndis.
Quã simul agnouit, tanquã tum deniq; raptam
Scisset, inornatos laniauit diua capillos,
Et repetita suis percussit pectora palmis.
Nescit adhuc vbi sit, terras tamẽ increpat omneis,
475 Ingratasq; vocat, nec frugum munere dignas,
Trinacriam ante alias, in qua vestigia damni
Repperit, ergo illic sæua vertentia glebas
Fregit aratra manu, parilicq; irata colonos,
Ruricolasq; boues leto dedit, aruaq; iussit
480 Fallere depositum, vitiataq; semina fecit.
Fertilitas terræ latum vulgata per orbem
Sparsa iacet, primis segetes moriuntur in herbis
Et modo Sol nimius, nimius modo corripit imber,
Syderaq;, ventiq; nocent, auidæq; volucres
485 Semina iacta legunt, lolium, tribuliq; fatigant
Triticeas messes, & inexpugnabile gramen.
Tum caput eleis Alpheias extulit vndis,
Rorantesq; comas a fronte remouit ad aures.
Atq; ait, o toto quæsitæ virginis orbe,
490 Et frugum genitrix immensos siste labores,
Neve tibi fidæ violenta irascere terræ.
Terra nihil meruit, patuitq; inuita rapinæ,
Nec sum pro patria supplex. huc hospita veni.
Pisa mihi patria est, & ab Elide ducimus ortus.

Sicaniam peregrina colo, sed gratior omni 495
Hæc mihi terra solo est, hos nũc Arethusa penates,
Hanc habeo sedem, quam tu mitissima serua.
Mota loco cur sim, tanticq; per æquoris vndas
Aduehar Ortygiam, veniet narratibus hora
Tempestiua meis, cum tu curaq; leuata, 500
Et vultus melioris eris, mihi peruia tellus
Præbet iter, subterq; imas ablata cauernas
Hic caput attollo, desuetaq; sydera cerno.
Ergo dum stygio sub terris gurgite labor,
Visa tua est oculis illic Proserpina nostris. 505
Illa quidem tristis, neq; adhuc interrita vultu,
Sed regina tamen, sed opaci maxima mundi,
Sed tamen inferni pollens matrona tyranni.
Mater ad auditas stupuit ceu saxea voces,
Attonitæq; diu similis fuit, vtq; dolore 510
Pulsa graui grauis est amentia, curribus auras
Exit in æthereas, ibi toto nubila vultu
Ante Iouem sparsis stetit inuidiosa capillis.
Proq; meo veni supplex tibi Iuppiter inquit
Sanguine, proq; tuo, si nulla est gratia matris 515
Nata patrem moueat, neu sit tibi cura precamur
Vilior illius, quod nostro est edita partu.
En quæsita diu tandem mihi nata reperta est,
Si reperire vocas amittere certius, aut si
Scire vbi sit reperire vocas, quod rapta feremus, 520
Dum modo reddat eam, neq; em̃ prædone marito
Filia digna tua est, si iam mea filia non est.
Iuppiter excepit, commune est pignus, onusq;
Nata mihi tecum, sed si modo nomina rebus
Addere vera placet, non hoc iniuria factum, 525

Verum amor est, neq; erit nobis gener ille pudori.
Tu modo diua velis, vt desint cætera, quantũ est
Esse Iouis fratrem? quid? q; non cætera desunt?
Nec cedit nisi sorte mihi, sed tanta cupido
530 Si tibi dissidij est, repetet Proserpina cœlum
Lege tamen certa, si nullos contigit illic
Ore cibos, nam sic parcarum fœdere cautum est.
Dixerat, at Cereri certum est educere natam.
Non ita fata sinunt, quoniam ieiunia virgo
535 Soluerat, & cultis dum simplex errat in hortis,
Puniceum curua decerpserat arbore pomum,
Sumptaq; pallenti septem de cortice grana
Presserat ore suo, solusq; ex omnibus illud
Ascalaphus vidit, quem quondã dicitur Orphne
540 Inter auernales haud ignotissima nymphas
Ex Acheronte suo furuis peperisse sub antris.
Vidit & indicio reditum crudelis ademit.
Ingemuit regina herebi, testemq; profanum
Fecit auẽ, sparsumq; caput Phlegethontide lympha
545 In rostrum, & plumas, & grandia lumina vertit.
Ille sibi ablatus fuluis amicitur in alis,
Inq; caput crescit, longosq; reflectitur vngues,
Vixq; mouet natas per inertia brachia pennas.
Fœdaq; fit volucris venturi nuncia luctus
550 Ignauus bubo, dirum mortalibus omen,
Hic tamen indicio pœnam, linguaq; videri
Commeruisse potest, vobis Acheloides vndæ
Pluma, pedesq; auiũ, cum virginis ora geratis?
An quia cum legeret flores Proserpina vernos,
555 In comitum numero mixtæ Sirenes eratis?
Quam post, quam toto frustra quæsistis in orbe,

Protinus vt vestram sentirent æquora curam,
Posse super fluctus alarum insistere remis
Optastis, facilesq; deos habuistis, & artus
Vidistis vestros subitis flauescere pennis. 560
Ne tamen ille canor mulcendas natus ad aures,
Tantaq; dos oris linguæ deperderet vsum,
Virginei vultus, & vox humana remansit.
At medius fratrisq; sui, mœstæq; sororis
Iuppiter ex æquo voluentem diuidit annum. 565
Nunc dea regnorum numen commune duorum
Cum matre est totidē, totidē cum coniuge mēnses.
Vertitur extemplo facies, & mentis, & oris.
Nam modo quæ poterat diti quoq; mœsta videri,
Læta deæ frons est, vt Sol qui tectus aquosis 570
Nubibus ante fuit, victis e nubibus exit.
Exigit alma Ceres nata secura recepta.
Quæ tibi causa fugæ? cur sis Arethusa sacer fons?
Conticuere vndæ, quarum dea substulit alto
Fonte caput, viridesq; manu siccata capillos 575
Fluminis Alphei veteres narrauit amores.
Pars ego nympharū, quæ sunt in Achaide, dixit
Vna fui, nec me studiosius altera saltus
Legit, nec posuit studiosius altera casses.
Sed quamuis formæ nunquā mihi fama petita est, 580
Quamuis fortis eram, formosæ nomē habebam.
Nec mea me facies nimium laudata iuuabat.
Quaq; aliæ gaudere solent, ego rustica dote
Corporis erubui, crimenq; placere putaui.
Lassa reuertebar, memini, stymphalide sylua. 585
Aestus erat, magnusq; labor geminauerat æstum.
Inuenio sine vortice aquas, sine murmure euntes

Perspicuas ad humũ, per quas numerabilis altè
Calculus omnis erat, quas tu vix ire putares.
590 Cana salicta dabant, nutritaq; populus vnda
Sponte sua natas ripis decliuibus vmbras.
Accessi primumq; pedis vestigia tinxi.
Poplite deinde tenus, neq; eo contenta recingor,
Molliaq; impono salici velamina curuæ.
595 Nudaq; mergor aquis, quas dum ferioq;, trahoq;
Mille modis labens, excussaq; brachia iacto
Nescio quod medio sensi sub gurgite murmur,
Territaq; insisto propioris margine fontis.
Quo properas Arethusa? suis Alpheus ab vndis
600 Quo properas? iterum rauco mihi dixerat ore.
Sicut eram fugio sine vestibus, altera vestes
Ripa meas habuit, tanto magis instat, & ardet.
Et quia nuda fui, sum visa paratior illi.
Sic ego currebam, sic me ferus ille premebat,
605 Vt fugere accipitrem penna trepidante columbæ,
Vt solet accipiter trepidas vrgere columbas,
Vsq; sub Orchomenon, Siphidaq;, Cyllenenq;,
Mænalios q; sinus, gelidũq; Erimanthon, & Elim
Currere sustinui, nec me velocior ille.
610 Sed tolerare diu cursus ego viribus impar
Non poteram, longi patiens erat ille laboris.
Per tamen & campos, & opertos arbore montes,
Saxa quoq;, & rupes, & qua via nulla, cucurri.
Sol erat a tergo, vidi præcedere longam
615 Ante pedes vmbram, nisi si timor illa videbat.
Sed certe sonituq; pedum terrebat, & ingens
Crinales vittas afflabat anhelitus oris.
Fessa labore fuge fer opem, deprendimur inquã,

Armigeræ Diana tuæ, cui sæpe dedisti
Ferre tuos arcus, inclusaq; tela pharetra. 520
Mota dea est, sparsisq; ferens e nubibus vnam
Me super iniecit, lustrat caligine tectam
Amnis & ignarus circum caua nubila quærit.
Bisq; locum, quo me dea texerat, inscius ambit,
Et bis Io Arethusa, Io Arethusa vocauit. 525
Quid mihi tunc animi miseræ fuit? an ne q; agnæ
Si qua lupos audit circũ stabula alta frementes?
Aut lepori? qui vepre latens hostilia cernit
Ora canum, nullosq; audet dare corpore motus?
Non tamen abscedit, neque enim vestigia cernit 530
Longius vlla pedum, seruat nubemq;, locumq;.
Occupat obsessos sudor mihi frigidus artus,
Cœruleæq; cadunt toto de corpore guttæ.
Quaq; pedem moui, manat locus, æq; capillis
Ros cadit, & citius, quam nunc tibi fata renarro, 535
In latices mutor, sed enim cognoscit amatas
Amnis aquas, positoq; viri, quod sumpserat ore,
Vertitur in proprias, vt se mihi misceat, vndas.
Delia rupit humum, cæcisq; ego mersa cauernis
Aduehor Ortygiam, quæ me cognomine diuæ 540
Grata mihi superas eduxit prima sub auras.
Hac Arethusa tenus, geminos dea fertilis angues
Curribus admouit, frenisq; coercuit ora.
Et medium cœli, terræq; per aera vecta est.
Atq; leuem currum Tritonida misit in vrbem, 545
Triptolemo partimq; rudi data semina iussit
Spargere humo, partim post tẽpora longa recultæ.
Iam super Europen sublimis, & Asida terram
Vectus erat iuuenis, Scythicasq; aduertitur oras.

550 Rex ibi Lyncus erat, regis ſubit ille penates.
Qua veniat, cauſamq; viæ, nomenq; rogatus,
Et patriã, patria eſt claræ mihi dixit Athenæ.
Triptolemus nomẽ, veni nec puppe per vndas,
Nec pede per terras, patuit mihi peruius æther.
555 Dona fero Cereris, latos quæ ſparſa per agros
Frugiferas meſſes, alimentaq; mitia reddant.
Barbarus iuuidit, tantiq; vt muneris autor
Ipſe ſit, hoſpitio recipit, ſomnoq; grauatum
Aggreditur ferro, conantem figere pectus
560 Lynca Ceres fecit, rurſusq; per aera iuſſit
Mopſopium iuuenem ſacros agitare iugales.
Finierat doctos e nobis maxima cantus.
At nymphæ viciſſe deas Helicona colentes
Concordi dixere ſono, conuitia victæ
565 Cum facerent, quoniam dixi certamine vobis
Suppliciũ meruiſſe parum eſt, maledictaq; culpæ
Additis, & non eſt patientia libera nobis,
Ibimus in pœnas, & qua vocat ira, ſequemur,
Rident Anipides, ſpernuntq; minantia verba,
570 Conatæq; loqui, & magno clamore proteruas
Intentare manus, pennas exire per vngues
Aſpexere ſuos, operiri & brachia plumis.
Alteraq; alterius rigido concreſcere roſtro
Ora videt, volucresq; nouas accedere ſyluis.
575 Plangere dumq; volũt per brachia mota leuatæ,
Aere pendebant nemorum conuitia picæ.
Nunc quoq; in alitibus facũdia priſca remanſit,
Raucaq; garrulitas, ſtudiumq; immane loquẽdi.

P. OVI. NASO. METAMOR.
PHOSEON LIB. VI.